

*magis placet, modo non neget cœlos, Solem, lunam esse corporea; non est tamen hic ommittenda observatio Divi Thomæ sedantis hanc controversiam loco citato, huiusmodi distinctione; sidera inquit cæteraque cœlestia corpora esse anima, ita sive animantia, bifariam intelligi potest, aut univoce: hoc est anima informante quæ sit corporis forma, quales sunt animantium animæ, et hoc modo videtur intelligere prima opinio, cum qua auctor huius libri. Aut equivoce, hoc est anima assistente vel presidente, quæ corpori unitur tamquam movens mobili, ut rotæ quæ movetur unitur et presidet figulus; Basilius, Damascenus non repræhendunt eos qui iuxta posteriorem intellectum credunt astra esse animata vel animalia, ut verissimile est sensisse Philonem atque Divum Hieronymum forte etiam Origenem; sed eos duntaxat refellunt qui stellas anima vas et sidera docuerunt esse animalia iuxta priorem intelligendi modum.*

*Sit autem animatus Sol quovis modo, sensus literalis verborum Salomonis, est ut Sol lustret et circumdet et circumspiciat universa per circuitum pergens spiritu suo, per quandum virtutem naturæ occultam qua omnia invisibiliter nutrit, vegetat, et unumquodque ad certum finem legitimum perducit, ut optime declarat auctor huius libri loco suo. Et hoc pertinet ad excellentiam Solis.*